DISCURSUS JURIDICUS DE CRIMINE MALEFICII, Von Zauberey/

Quem

Annuente S. Sancta Triade,
Consensu & Authoritate,
Magnifici JCtorum Ordinis, in Florentissimâ
Salana

SUB PRAESIDIO

Viri Prænobilissimi, Consultissimi atque Excellentissimi

DN. JOH. VOLK. Bechmanns/

Hereditarii in Obern Tröbra/ JCti & Antecessoris celeberrimi, Consiliarii Saxonici, Curiæ Provincialis, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Assessoris gravissimi,

Dni Patroni, & Promotoris omni observantiâ aternum devenerandi

in Auditorio Juridico

Publicæ Eruditorum disquisitioni
submittit

AUTHOR

Joach. Ernst. Kober/ Lenzenâ-March.

ad diem Octobr. anni 1678.

Literis Samuelis Adolphi Müllerl.

VIRIS

Maximè Reverendo, Magnifico, Per-Generosis, Prænobilissimis, ac Præstrenuis,

DOMINO

FRIDERICO-DIETERICO

de KAPPELLEN

Ecclesiæ Cathedralis Havelbergensis Decano, Lübecensis Canonico spectabili, Serenissimo Principi Megapolitano à Consiliis Secretioribus, districtus Prignizensis in Marchia Electorali directori gravissimo, Hereditario in Manckenmuß/ Laßlich und Zapel.

DOMINO

LEVINO FRIDERICO

de BISMARCK,

Electorali in Palæo-Marchia Commissario eminentissimo, Hereditario in Krebsen/ Dobblin / etc.

Ut &

Generoso, Prænobilissimo, & virtutis cultu eminentissimo,

Dn. CUNO-HARTWIGIO

de QVIZOVV,

Hereditario in Eldenburg & Klezke, jam in alma Viadrina Elegantioris literaturæ cultori perindustrio

Dominis suis gratiosis

Nec

Nec non

VIRIS Nobiliſſimis, Serenuis, Clariſſimis

DNO

CHRISTIANO STRYKIO,

Venetotum, Hiſpanorum, Imperatoris olim Centurioni maximè ſtrenuo, jam Electorali Teloniorum Lenzenſium Quæſtori digniſſimo

DOMINO

CHRISTIANO CLASEN,

Exercitus Danici quondam Metatori ſtrenuo, jam Domus Eldenburgicæ Præfecto laudatiſſimo

Fautoribus ac Promotoribus ſuis omni obſervantia colendis, æternum ſuſpiciendis

Cum ſincera apprecatione Omnigenæ proſperitatis

Diſcurſum hunc juridicum conſecrat

AUTHOR.

802631

I. N. J.

Præfamen.

Rectè dicitur *l. 51. §. quod si ff. de his qui effud. vel dejec.* maleficia non oportet esse impunita. Interest n. Reipubl. delinquentes puniri & velut membra putrida tolli *l. 51. §. 2. ad L. Aquil. l. 4. §. 2. ff. d. nox. act.* ne bonam corporis partem inficiant, corrumpant atque Rempl. turbent, & ut unius pœna metus sit multorum *l. 1. C. ad L. Jul. repet.* Hinc quoque magistratui politico gladius est concreditus, ut in facinerosos eôdem animadvertat, eosq; pœnâ afficiat promerita, quo boni in tuto vivere & Respl. gratâ tranquillitate perfrui possit. Proh Deum immortalem! quàm turbidus undique Rerumpublicarum foret status, si judices in delicta à nefariis commissa non inquirerent. Sunt a. variæ criminum species, quas impræsentiarum recensere supersedemus. Sufficiat hic mentionem fecisse criminis maleficii, de quo nunc non nulla sumus disserturi. Antequam autem rem ipsam aggredimur, Te ô summum imploramus Numen, ut nobis Tua gratiâ adesse velis, quo præsens labor noster non inchoetur solùm, sed & feliciter finiatur vergatque in Tui sanctissimi Nominis unicam gloriam

CAPUT I.

DE DEFINITIONE NOMINALI ET REALI.

§. I.

ANtequam ad rem ipsam nos conferamus, hîc vocis aliqualem rationem habebimus, evolutionemque nominalem reali præmittemus. Unde autem vox maleficii descendat, facilè patet, nempe ab adverbio malè & facio. Græcè dicitur κακούργημα.

§. II. Quod æquivocationem hujus vocis spectat, non uno eodemque modo sumitur hæc vox. Vel enim accipi potest (1.) *generalius* pro quovis delicto seu crimine, quo Respubl. turbatur *l. 51. §. quod si ff. de his, qui dejec. vel effud.* (2.) *generaliter*, pro quibuscunque artibus illicitis, quas quis cooperante Diabolo exercet & sic describitur à Magnif. Dn. Struv. *Ex. 49. th. 61.* quod sit ars illicita, cum quis Dæmone cooperante hominibus eorumque bonis damnum infert, illos deludit, miraculosa facere conatur, aut divinandi curiositatem profitetur (3.) *specialiter*, pro illâ arte illicita & diabolica, quam exercent Lamiæ seu Sagæ, & sic posset describi, quod sit ars illicita atque diabolica, quâ Sagæ seu Lamiæ diabolo cui se manciparunt cooperante utuntur, hominibus eorumque bonis nocentes. Et hæc ultima acceptio est hujus loci, neglectâ prima & secunda.

§. III. Illud autem hîc monemus antequam cap. 2. exordiamur; nos hîc non posuisse accuratas definitiones, sed aliquales saltem descriptiones.

CAP. II.

DE SUBJECTO HUJUS CRIMINIS.

§. I.

SUbjectum maleficii in specie considerati non constituunt (1.) *Exorcistæ seu sortilegi*, Segensprecher / qui ope carminis vel characterum morbos curare, dæmonia ejicere, vim tormentorum inhibere student· *Brunnem. pr. Inq. cap. 9. n. 18.* Nec (2.) *Magi*, qui ad quæsita authores furti, vel aliorum delictorum indicant, thesauros artibus illicitis invenire conantur. Dicuntur germanicè Wahrsager / si fœminæ sunt, Kluge Frauen. *Carpz. Pr. Crim. par. 1. quæst. 50.*

§. II. Nec (3.) *Præstigiatores*, qui ejusmodi exercent præstigias, atque fascinationes ita ut naturali agilitate fieri non possint. Nec (4.) *Haruspices* & *Augures*: Illi olim exta victimarum in ara inspiciebant & futurorum arte dæmonis scrutinium instituebant: *Hi* erant interpretes Auguriorum & ex avium volatu arte dæmonis futura divinabant *Rosin. antiqu. Roman. sub voce Haruspex. item Augur.*

§. III. Nec (5.) *Necromantici*, qui per mortuorum cadavera aliquid prædicunt *Farin. prax. Crim. l. 1. t. 3. q. 20. n. 74.* Nec (6.) *Mathematici*, qui scil. nomine scientiæ abutuntur eoque sua somnia palliant & pacto vel expresso vel tacito cum diabolo inito ex mera saltim superstitione eventus certos ab astris necessitudine aliqua pendentes prædi-

prædicunt & de his intelligenda *l. 6. C. de malef. & mathemat.* Nec (7.) *Spiritum familiarem habentes;*

§. IV. Verum autem Subjectum maleficii in ſpecie ſpectati conſtituunt Sagæ ſive Lamiæ dictæ à λαμία Beli & Libiæ filia, quæ fuit inſignis venefica, prout annotat *Cellar. in diction. græc. latin. Germanicè vocantur* Hexen ita dictæ ab Amazonum Duce itidem inſigni venefica. *Thumm. in tract. Theol. de Sagarum Impietate quæſt. 2.* item appellantur Unholden / quoniam Sagę cum magiſtro ſuo Diabolo adverſus quoslibet odium animo fixum gerere cenſentur.

§. V. Deſcribuntur autem Sagæ quod ſint ejusmodi perſonæ, quæ abnegato Deo (1.) obſtrictæ diabolo (2.) tempeſtates & tonitrua excitant, (3.) hominibus eorumque bonis nocent, (4.) Conventus diabolicos, ad quos in furca, baculis aut ſcopis feruntur, viſitant, (5.) & cum Dæmone nefandam libidinem exercent *Carpz. pract. Crimin p. 1. quæſt. 48. n. 7.*

§. VI. Quęritur hic (1.) an inter Sagas & dæmonem, qui corpore præſtigioſo comparet verum pactum ſive fœdus celebretur? Nonnulli quęſtionem negant, ſed confundunt pactum non verum cum illicito. Illud concedimus pactum hoc maximè eſſe impium & illicitum, negamus autem non eſſe pactum verum. Adeſt enim hîc eſſentia pacti, quę conſiſtit in duorum vel plurium in idem placitum conſenſu *l. 1. ff. de pact.* Ergo quoque eſt verum pactum. Nec obſtat hîc intervenire naturarum diverſitatem. Sufficit intervenire ea, quę ad eſſentiam pacti requiruntur. Et quis illud pactum diceret non eſſe verum, quod olim inter Deum atque ſanctos Viros eſt initum, propter naturarum diſparitatem? Proinde manet noſtra aſſertio pactum inter dæmonem & ſagas initum eſſe verum licet, ſimul turpe & improbum pactum ad quod ſervandum non ſint obſtrictæ, quoniam de jure impoſſibilia habentur *l. fil. 15. ff. d. condit. inſtit.* horum autem nulla eſt obligatio *l. impoſſibilium. 185. ff. d. R. I.*

§. VII

§. VII. Brevibus hîc antequàm reliqua proponemus, exponemus, quo modo Sagæ ſeſe devoveant dæmoni. Nempe (ut ex ipſarum conſtat confeſſionibus) ſolent præcedente ſtipulatione, S. Sanctam Trinitatem, baptiſmum, omnemque cultum divinum abnegare & abjurare & diabolo ſe mancipare, quod ipſius propriæ eſſe, ipſum perpetuò diligere, Dei omniumque hominum perpetuæ hoſtes eſſe, item quod liberos ſuos ipſi devovere, artibusque magicis erudire velint. *Chirland. d. ſortil. qu. 3. num. 1.* Imò offerunt ipſi ſyngrapham interdum proprio ſanguine ſcriptam, qua certum vel etiam non certum tempus exprimunt. Sic *Carpz. p. 1. quæſt. 50. n. 28.* ſcribit quod Saga ſex annos ſe Dæmoni obſtrinxerit ſcriptis proprio ſanguine ſex lineolis, quibus eos exprimere voluit.

§. IIX. Initur verò iſta pactio vel minus ſolenniter, quando non ipſi diabolo, ſed ejus nomine alii cuiquam malefico ſeſe obſtringunt, vel ſolenniter, quando præſentibus Sagis dæmoni in ſolio majeſtatis Regio more ſedenti ſeſe mancipant. *Farin. quæſt. crimin. 20. n. 77.* His ita factis dæmon rurſus (ſi ipſarum denunciationibus credere licet) pollicetur, ſe velle ipſarum voluntati morem gerere, eoq; niti, ut in hoc mundo in ſumma rerum abuntantia vivere poſſint. In ſignum initi fœderis ſolet ipſis arrham, quam plerumque in teſtarum fragmenta poſtea mutari dixerunt ſtriges, dare. *Chirland. d. ſortil. d. qnæſt. 3. n. 1. ſeqq.* Hat Inquiſitin geſtanden / daß ſie ſich mit dem böſen Feinde verbunden und die Tauffe von ihm angenommen / wie auch an Gelde ein Kopffſtück / dergleichen er ihr Wochentlich zugeben verſprochen / wie wohl ers nicht gehalten / ꝛc. *Philipp. Eclog. 87. l. 4. n. 10.* imò certa ſtigmata morſu aut ungue ipſis imprimere de hisce *vid. cap. 3. d. indiciis.* Ipſæ ſagæ quoque ut teſtatur Zepper. *in explicat. LL. Moſaic.* Dæmoni canem vel felem conſecrant inito hoc turpiſſimo fœdere.

§ IX. Quæ-

§. IX. Quæritur (2.) Num Sagæ poſſint pluvias, tempeſtates, grandines ventosque concitare? Affirmamus id cum Theodoric. *in colleg. Crimin. c. 7. Lit. L.* Excitantur autem Dei permiſſu à Dæmone intervenientibus ſagarum ſuperſtitioſis remediis. Idem *l. 6. C. d. math. & malef.* aſſeritur, quod ſcil. multi magicis artibus imbuti elementa turbent. Ciet autem diabolus tempeſtates mediantibus exhalationibus, quas applicando naturalia agentia patientibus facilè extrahere poteſt ex inferioribus terræ partibus, quorum commotione varias tempeſtates movet. Fulmen excitaturus materiam movet, evehit nubique immiſcet. Hanc aſſertionem noſtram ipſe ſacer codex affirmat. Nam Pſalm. 78. dicitur ærugnem atq; grandines per Spiritus malos eſſe immiſſos vid. quoque Job. cap. 1. & 19. Hinc quoque ad Eph. 2. vocatur Princeps aëris, quod eum (divinâ permiſſione) moveat. Plura de hac *quæſt. vid. apud Theodor. modò citat. in Colleg. Crimin. d. l.*

§. X. Diximus in deſcriptione Sagarum *n. 3.* quod ſagæ hominibus eorumque bonis nocere maximè ſtudeant, proinde hic ſumus expoſituri quot modis hominibus inſidientur, illisque Deo permittente noceant. *Bodin. de damonom. l. 2. cap. 4.* recenſet congregatis Sagis reperiri ingentem hircum nigrum Sagas in ejus ambitum ſaltantes compellantem, cujus partes poſteriores ipſę face ardente oſcularentur. Poſtea hircum iſtum igne conſumi, de cujus cineribus ſingulæ caperent ad homines pecudesque interficiendas. Poſtremum Dæmonem in hasce voces erumpere: *Ulciſcimini Vos, aut mortem* oppetetis. Lubet hìc adjicere ex Speidel *Specul. var. Obſerv. ſub voc.* Hexen Coſeſſiones Lamiarum quas refert ex deſignatione quadam Smalkaldica: Sie haben bekand/ wenn mann das Aus-ſerig hinter der Thür liegen lieſe/ wolten ſie Menſchen damit verkrummen und verlahmen. Es könte auch der Teuffel ſich Leibhafftig darhinter verbergen/ ja ſie könten wiſſen/

was im gantzen Hause geschehe. Wenn ein Mensch Saltz auff den Teller nehme / und das / was überbliebe / wieder in das Saltz-Faß thäte / so könten sie so viel Leute verderben als von besagten Saltze essen. Item wenn Eyer gegessen würden / und man zerdrückte die Schalen nicht / könte sie damit grossen Schaden thun. Wenn ein Mensch frühe aufstehe / und wasche die Hände nicht / was derselbe den gantzen Tag angriffe / davon könten sie haben und hätten Macht über solche Sachen. Ja sie könten als denn machen / daß demselben Menschen kein Vieh gedeyen könte. etc. Hactenus Autor. Confessæ quoque sunt Lamiæ, se maximum damnum inferre posse hominibus vermibus istis, quos vocant Elben / böse Dinger. *Vid. Carpz. pract. Crim. p. 1. quæst. 50. in Respons.* ibidem annexis: Hat Inquisitin bekand / daß sie was zur Welt gebracht / so wie eine Hummel ausgesehen / daraus der böse Feind ein schwartz Pulver gemacht und ihr gegeben / womit sie N. N. N. N. bezaubert / daß sie beyde sterben müssen etc.

§. XI. Maximè verò solent insidias struere infantibus nondum natis. *Binsf. in l. multi C. d. malef. & mathem. quæst. 2.* quorum membris vescantur, ne ad confessionem criminis possint adduci. Hinc legimus eas proprios infantes occidisse *Bodin. d. dæmonom. l. 2. c. 8.* eosque coxisse *Carpz. p. 1. quæst. 50. in respons. ibid.* Hat N. N. bekand / daß sie der Malprichen Kind gekochet / und in einem Topffe mit Zauberey zugerichtet / in aller Teuffel Nahmen gesegnet / daß es weydlich sterben solte. Solent quoque nutrices desiccare *Chirland. de sortil. quæst. 6. num. 13.* novis conjugibus impedimento esse, ne sobolem procreare possint, quod ab illis dici solet, das Nestell verknüpffen. *Vid. B. Schröt. in dissert. d. Lamiis.*

§. XII. Quæritur (3.) Num Sagæ corporaliter ad conventus diabolicos in montem Bructerorum ferantur?

Sunt

Sunt qui negant existimantes Sagarum avolationes itemque choreas esse aniles fabulas. Sed eos omnes, qui choreas omnes imaginarias esse volunt magno in errore herere judicat, *Thom. Mich. apud Klock. vol. 3. cons. 195. n. 119.* cùm experientia veritatem earum condoceat apud *Remig. l. 1. demonol. cap. 14.* Et hoc multis authoritatibus confirmat *Binsfeld. p. 1. de Confeß. Mag. Conclus. 12.* Qvi affirmativam defendunt, provocant ad Sagarum confessiones, quod istæ conveniant cum vera montis descriptione, & cum reliquarum denunciationibus. Constanter enim eas affirmare constat, adfuisse ibi coquos atqve tibicines, se fuisse admonitas à dæmone ne signo crucis se muniant &c. Hatt N. N. bekand / sie wäre nur 2 mahl auff dem Blockers-Berg gewesen und auff einer Ofen-Krucken zur Feuer-Mauer oben hinaus und nirgends an ins Teuffels-Nahmen gefahren. Ihre Nachbarin die Böttcherin hätte sich mit einer Salben geschmieret / darauff sie beyde in einen Augenblick auff dem Blockers-Berg gekommen / daselbsten hätten sie Kuchen gebacken / Bier getruncken / aber keinen Wein / auch getantzet / und wären die Spielleute Sackpfeiffer und Trummelschläger gewesen. Wenn sie dahin kämen / blieben sie ohngefehr ein paar Stunden beysammen / und hätte allezeit eine junge Braut den Vorreyhen. *Carpz. p. 1. quæst. 50. in respons. ibid. affixis.* Et ne ipsarum absentia, quando σωματικῶς avolant in montem Bructerorum à viris sentiatur, scribit Chirland. *d. sortil. quæst. 7. n. 39.* ipsas fascinare tunc viros suos. *Speid. in speculo var. observ.* sub voce Fahren meminit in superiore Alsatia contigisse, qvod uxor Præfecti cujusdam confessa fuerit, se cum maritus epulas adornasset non semel avolasse ad choreas Diabolicas, ejusq; locum præsentibus convivis dæmonem interea occupasse. Sæpiùs autem contingere Sagas corporaliter non interesse conventibus Diabolicis præstigiis occupata phantasia, concedimus cum *Carpz. p. 1. quæst.*

48. n. 58. ubi refert ipsas facere posse ut licet absint, singula, qvę in ejusmodi conventibus agerentur audiant atq; cernant. *Johan. Leib. in respons. 1. d. Sag.* sic scribit: Es hat eine Person bekennet/ sie sey im Bette einmahl eingeschlafen/ und also bald auff dem Teuffels Tantze gekommen/ doch aber im Bette geblieben. ꝛc. *Plura hac de quæst. vid. apud Carpz. d. l.*

§. XIII. Qvęritur (4.) An credendum sit sagis, qvando confitentur se in momento transferri in montem Bructerorum per loca anguſtiora? Quæstio hæc duo continet membra. Prius quod spectat, an in momento transportentur, si de possibilitate est quæstio, affirmamus quoniam nullum hic cernimus impedimentum præsertim ex parte Diaboli, qui est Spiritus robustus Eph. 2. qui aëra facilè potest diffindere, & ob agilitatem naturæ angelicæ Sagas ad loca remotissima transferre; Nam Diaboli bonis Angelis, (qui in momento immensa aëris spatia possunt decurrere hominesque secum ducere Dan. 14. v. 35. Actor. 8. 39.) potentiâ naturali dotibusque naturæ sunt pares. *Tabor in tractat. de confront. at. p. m. 137.* qui ex Delrione refert ipsos tantum amisisse dona gratiæ. Monet tamen hac in re consulendos esse Theologos. Evincitur quoque quæstio ex cap. 4. Matth. ad quod Theophilact. notat Christum à dæmone celerrime fuisse transportatum de loco in locum. *Vid. hac de re Theol.* Quod attinet *alterum* quæstionis hujus membrum, negamus Sagas spatia improportionata penetrare posse, quoniam dæmon essentiam creaturæ immutare nequit. Existimamus proinde sagas, quæ arbitrantur se induisse formam alicujus animalculi, & per minimum spatium penetrasse, deludi *vid. B. Schroter. in diss. antea allegata d. Lam.*

§. XIV. Quæritur (5.) Num ex congressu Sagarum cum Dæmone proles humana produci queat? Neg. id cum *Carpz. prax. Crim. quæst. 49. n. 35.* & argumentamur ita cum acutissimo Thoma; Nulla substantia producit corpore

poream aliquam ſubſtantiam, niſi vel eam contineat eminenter vel habeat ſimilitudinem cum effectu in modo eſſendi, ſed ſolus Deus continet in ſe eminenter ſubſtantias corporeas. Inter ſpiritus verò & ſubſtantias corporeas nulla intercedit ſimilitudo in modo eſſendi Ergo ipſis productio non eſt adſcribenda. Nec obſtat hîc dæmonem aſſumpto corpore ex aëre condenſato revera cum ſagis concumbere. Licet diabolus ſuccubam agens ſemen humanum ſuffuretur, illudque poſtea rurſus adhibeat ac applicet, negamus tamen iſtud eſſe prolificum. Exhalavit enim vis prolifica & jam ob frigiditatem corporis aſſumpti calorem prolificum, qui maximè ad productionem ſobolis eſt neceſſarius, amiſit. *Excell. Dn. Scherzer. in Breviar. Euſtach. p. m. 421.* Quamvis itaque proles humana produci non poſſit, confitentur tamen ſe partum inſtar vermium (ut experientia & ipſiſſimis Sagarum confeſſionibus conſtat) parere *Carpz. pr. Crim. p. 3. quæſt. annexo reſp. XXIII.* Sed neque hos vermes, quos vocant Elben/ böſe Dinger à dæmone produci, ſed aliunde celerrimè motu locali afferri credimus. Nam formæ materiales non poſſunt ex materia educi niſi mediante alteratione. Sed materiam alterare ad recipiendam formam, non eſt ſubſtantiæ immaterialis, ſed materialis, ſiquidem alteratio fit mediantibus materialibus qualitatibꝰ activis, quæ non cadunt in ſpiritꝰ.

§. XV. Sed quid ſi Saga infantem facie diaboli aut alia forma monſtroſa enixa fuerit? Reſp. Non poſſe dici opus diaboli hactenus demonſtravimus. Putamus autem illud imaginationi eſſe imputandum, addatur *Delr. l. 1. c. 2. q. 3.* Nec diabolo partus ſuppoſititios eſſe adſcribendos, quaſi ab illo eſſent producti ex hactenus dictis fluit. Quod ipſum quoque confirmat megalander ille Lutherus hiſce formalibus: Unſer HErr GOtt braucht zur Schöpffung Menſchen als ein Mittel/ durch dieſelben wircket Er/ nicht durch den Teuffel/ drum müſſens geſtohlene Kinder ſeyn ꝛc. Contingere quoq; ut Dæmon ipſe ſub ſpecie pueri ſe ſubſternat, ſcribit *B. Schroter. in modo alleg. diſs. de Lam.*

CAPUT III.

DE VINDICATIONE UT ET INDICIIS HUJUS CRIMINIS.

§. I.

CRimen hoc dupliciter potest vindicari vel civiliter vel criminaliter. Si *civiliter* vindicatur, instituitur à læso per maleficium *actio ad reparationem damnati illati*, & tenentur etiam heredes Sagarum, ad quos bona earum perverunt ad damna resarcienda. Besold. *p.* 5. *Consil.* 214. *n.* 11. Et Fiscus, si adhuc obtineretur Confiscatio bonorum, teneretur ad reparationem damni, partique lesæ deberet satisfacere *Gebauf. proces. contra Sag. T.* 15.

§. II. Si *criminaliter* vindicatur, institui potest vel Accusatio, vel inquisitio. *Illa* fit per delationem ad judicem competentem vindictę publicæ causâ *Gadelm. d. Mag. l.* 3. *c.* 2. *n.* 1. Non obstat hîc locus Joh. 8. v. 11. Potest autem quilibet ê populo accusare, quia maleficium inter crimina excepta & nefanda reputatur, & illi jus accusandi habent, qui aliàs non admittuntur, utpote mulier *l.* 8. *ff. ad L. Jul. Maj.* impubes Farin. *l.* 1. *t.* 2. *quæst. n.* 15. Infamis *l.* 7. *ff. ad L. Jul. Maj.* Liberi quoque Parentes suos, quoniam hæc accusatio vergit in illorum salutem, & bonum publicum nempe amor Reipl. hic præferri debet bono privato scil. amori, quo deperiunt liberi Parentes suos per *cap. literas X. de præsumt.* Exinde quoque sequitur teneri conjugem accusare conjugem.

§. III. *Hæc* (inquisitio) tunc instituitur, quando cessat accusatio & est legitima judicis competentis super delicto informatio *Carpz. p.* 3. *quæst.* 107. *n.* 5. Est autem ve

vel *generalis*, quando judex in genere quærit quis ſit delicti author; vel *ſpecialis*, quando inquirit in perſonam certam, de cujus delicto eſt certior factus *Hartz. tract. de Sagar. inquiſit. Concluſ. 4. n. 1. Brunnman. in proceſſu Inquiſitor. c. 2. 3.* Hic benè qui judicis fungitur officio cavere ſibi debet, ne generalem inquiſitionem ita inſtituat, ut ad certam perſonam ſit directa. Ad ſpecialem autem progredi poteſt, ſi in generali inquiſitione eſt certior factus de perſona certa, indiciisque ad eam ſufficientibus, Magnif. Dn. Roth. Præceptor meus æternùm venerandus *in diſcurſu ſuper proceſſ. Inquiſit. in puncto Veneficii.* Meritò hic reprehendimus ſententiam *Johann. Seiffarti* in Gewiſſens Buch von Hexen-Proceſſen in der 12. und 13. Streit-Rede / qui arbitratur inquiſitiones verſus Sagas planè eſſe omittendas, ne innocentes in ſuſpicionem hujus delicti veniant. Planè ſi ea ſententia obtineret, magiſtratus nunquam verba S. Scripturæ Exod. 22. v. 18. exequeretur.

§. IV. Inquiſitionem autem præcedere debent INDICIA qualia ſunt (1.) FAMA, quæ tamen certis munita eſſe debet requiſitis (1.) ut tempus deſcribatur & ante inchoatam cauſam cœptamque inquiſitionem extitiſſe in articulis proponatur. *Hippol. de Marſil. prax. Crim. §. Ut pluri-mum n. 39.* (2.) ut teſtis dicat ſe audiviſſe à pluribus majoreque parte populi (3.) teſtis nominatim debet indicare illas perſonas à quibus famam iſtam hauſit Damhoud. *prax. Crim. cap. 9. num. 10.* ut judex explorare poſſit an perſonæ illæque ſint fide dignæ, graves omnique exceptione majores per *art. 25. Conſtit. Crimin. Carol. V. in verb.* Daß ſolcher böſer Leumuth nicht von Feinden oder leichtfertigen / ſondern von unparteiſchen redlichen Leuten komme / etc. (4.) teſtis debet indicare cauſam orti rumoris Harz. *de inquiſit. Sagar. Concluſ. IV. num. 15.* (5.) ut fama non ſit vaga neque contraria, ſed ſolida & inconcuſſa, (6.) ut ſit perſona, quæ opinione hominum pro tali habeatur, der man die Ubelthat zu trauet / Ob diffamationem tamen ſolam judex non ſtatim ad capturam procedere poteſt niſi alia adſint indi-

cia

cia v. g. si diffamata locum mutet audiens de complicibus comprehensis Berlich. 4. *Conclus.* 4. *num.* 26. *&c.* Famæ hoc indicium auget quoque si diffamata nata sit parentibus veneficis, tunc m. filia talis præsumitur Bodin. *d. tr. lib. c.* 4. Unde autem hæc suspicio oriatur, patet ex præced, §. 7. *c.* 2.

§. VI. (III.) DENUNCIATIO Complicum, quam Carpz. *p.* 3. *quæst. crimin.* 122. *n.* 68. per se solam ad torturam sufficere dicit, si nempe secundum suas qualitates talis sit, qualem *Constit. Carol. art.* 31. requirit. Aliter tamen hic sentit Tabor *in tract. de confrontat. part.* 4. *cap.* 2. *num.* 16. quod scil. requisitis suis munita tantùm sufficiat ad inchoandam inquisitionem, exigendam responsionem & confrontationem, non v. ad decernendam torturam, qua tum demum opus esse inquit, si ex inquisitione, responsione & confrontatione fortiora indicia emergant. Addit quoque suæ assertionis rationem hanc, melius scilicet esse per gradus, quàm per saltum progredi in re tanti momenti juxta R. A. zu Speyer / *d. anno* 1529. §. Item als die Käyserl. Regierung *ibi.* Sachen die des Menschen Ehr / Leib / Leben und Guth belangen / haben tapferes und wichtiges Rathschlagen wohl von nöthen. Et ita respondisse JctosGryphsvvaldens testatur *p.* 4. *c.* 5. *num.* 5. Da nun selbige Personen / worauf bekand worden / solches Lasters hiebevor berüchtiget gewest / auf solchen Fall müste ihres geführten Wandels halber inquisition geschehen / etc. Quid vero de denunciationibus sentiendum sit, si debitis qualitatibus destituantur, facile colligere licet, scilicet judicem non posse devenire ad specialem inquisitionem neque capturam, multò minus torturam. Quod autem soli denunciationi non sit magna fides habenda, si non alia adsint indicia inde probamus. (1.) quod ejusmodi personæ denunciantes sint infames. Testis deponens autem pro delicto debet esse omni exceptione major *artic.* 30. & 23. *Constit. Crimin. in verb.* ein glaubhafftiger / guter und unverwerflicher Zeuge / der unverleumbdt / und sonst aus keiner rechtmäßigen Ursache zu verwerffen ist / *add. Steph.*

in not. ad h. artic. (2.) quod interdum sint unicæ & singulares. Sufficiens a. indicium à duobus testibus fide dignis debet probari *art. 23. & 30. in verb.* Eine gnugsahme Anzeigung / soll mit zweyen guten Zeugen bewiesen werden. Et licet multarum sagarum adsint confessiones adversus personam antea non diffamatam à personis fide dignis, nullam tamen eis fidem esse tribuendam putamus per ea, quæ tradit *Cothmann. 1. respons. 12. num. 267.* Rationem autem reddere solent hanc Doctores quod unius sagæ denunciatio per alterius denunciationem non habilitetur, quia quod nihil est, supplementum non recipit Tabor. *d. tr. disp. 1. n. 35. pag. m. 30* (3.) quod experientia testis sit, Sagas denunciantes vel ob summos cruciatus, vel ut liberentur, sæpè honestissimas matronas Veneficas exclamasse juxta Cothm. *d. l.* ut & Fichard: Aus vielfältiger Erfahrung ist bewust / daß die Hexen den Gebrauch haben / die fürnehmsten ehrligsten Matronen anzugeben / zum Theil darüm / daß sie verhoffen / wenn derselben verschonet werde / so könte man mit Fug sie nicht straffen / zum Theil auch darüm / daß sie gerne sehen wolten / daß nur viele auch mit gehen und leiden müsten / und wenn sie verbrennen / daß die gantze Welt verbrennete / etc. (4.) Fieri posse credimus dæmonem honestæ personæ speciem repræsentare Meyfart. in der Christlichen Erinnerung / wie das abscheuliche Laster der Hexerey mit Ernst auszurotten *cap. 33. in verb.* Der Teuffel kan auch wol unschuldige Personen vorbilden und præsentiren, damit er sie in Lebens-Gefahr und ümb ihre Ehre bringe ꝛc. Addatur *Brunmann. cap. 8. num. 65. proceſſ. Inquiſit.* ubi adducit exemplum Samuelis repræsentati Sauli *Farinac. q. 185. §. 8.* Proinde Augustinus ait: Si sola nominatio sufficeret, multi innocentes damnarentur, quia falsò sæpè nominantur. Nihil fidei esse tribuendum denunciationibus Sagarum, licet ad finem vitæ in iis persistant, scribit Reink. *in respons. d. Sag. quæst. 3.* utiturque *arg. l. 3. §. 1. ad Sct. Syll.* Quid sentiendum autem sit de illis inter quos est eitam Laymann. qui indistinctè omnes personas modò sint denunciatæ, esse capiendas & torquendas asserunt, ex

hactenus dictis constat. Non obstat hîc dictum Salvatoris. Matth. 18. v. 16.

§. VII. III. est FUGA, si scil. diffamata ante citationem fugam arripuerit. Si enim post institutam accusationem aufugerit, ex timore id fecisse putatur *Farin. qu.* 48. *n.* 27. *Brunm. pr. Inq. cap.* 4. *n.* 36.

§. IIX. IV. FREQUENS domicilii mutatio à diffamata facta, post captas complices. Circumspectus judex autem hic inquiret, ex quibus causis mutatio ista fit suscepta, an etiam de veneficio suspecta nomen mutaverit *Del. lib.* 5. *Sect.* 4. §. 8. Non leve. V. indicium est si diffamata objectum sibi crimen taceat, illudque non vindicet. Tacendo enim, ut commune sonat proverbium, consentire videtur.

§. IX. Indicia quæ ad torturam sufficiunt, sequentia in *constitut. Crimin. art.* 44. continentur. Inter ea (1.) est, si quis fateatur se addidicisse artem magicam & offerat se simùl ad docendum alios istam, in verb. Wenn jemand sich erbeut andere Zauberey zu lernen (2.) quando sortilegus alteri minatus sit incantationem & effectus ita fuerit secutus in verb: oder jemand zu bezaubern dräuet / und dem Bedräuten dergleichen geschiehet ꝛc. (3.) Si interveniat familiaritas & conversatio frequens cum Sagis & Veneficis convictis in verb: auch sonderliche Gemeinschafft mit Zaubern und Zauberinnen hat. Addatur *Cothm.* 1. *resp.* 12. *n.* 218. (4.) Si quis res de veneficio suspectas secum habeat, aut gestibus vel verbis utatur, quæ indicare solent incantationem in verb: oder mit solchen verdächtigen Dingen / Geberden / Worten und Wesen ümbgehet / die Zauberey auff sich tragen / v. g. si suspecta de veneficio instructa sit bufonibus & in ejus ædibus hostiæ, aut membra humana reperiantur. *vid. Stephan. in not. ad h. artic.* Additur quoque ibidem tunc enarrata indicia sufficere ad torturam si accedat fama (à fide dignis personis orta) in verb: und dieselbige Person deſſelben auch sonst berüchtiget etc. vel concurrat aliud indicium loco famæ. *Kostmach. tr. de indic. ad tort. suff.*

Manz.

Manz. notat. ad hunc artic. 44. n. 15. quod ob indicia in oculos hominum incurrentia & crimini propinquiora carcer & tortura possit decerni, licet persona integræ famæ fuerit reputata.

§. X. Præter allegata indicia, enumerari solent sequentia (1.) Si diffamata extra judicium dixerit, se hunc vel istum veneno læsisse *Godelm. d. tr. cap. 10. lib. 3.* (2.) Si quis seipsum damnaverit, antequam accusatur *Bod. dict. loco.* (3.) Si superstitiosam morborum sanationem susceperit de veneficio suspecta, wenn sie fürgibt daß sie könne die Elben abtreiben ꝛc. (4.) si suspecta ejusmodi persona visa sit pulverem super grege pecorum spargere, eaque repente perierint, sive animali potum præbuerit, quod postea statim concidat *Godelm. d. Lam. Lib. 3. c. 10. n. 27.* (5.) Si in arcâ diffamatæ personæ inveniantur literæ mutuam obligationem inter Dæmonem & Sagam indigitantes *Bod. d. tract. l. 4. c. 2.* (6.) Si diffamata aliquem tangere videatur, atque ille repentinos dolores sentiat & moriatur aut subitò morbo corripiatur. (7.) Si ea, quæ vesperi incubuerit lecto, domô abiit foribus occlusis, posteaque revertatur. *B. Schröt. in diss. d. Lam.* ubi hæc fusiùs pertractantur (8.) si suspecta de veneficio variet in confessione *Stephan. ad artic. 31. Constit. Carol. Farinac. quæst. 52. n. 68.* dicit quod hoc indicium alia desideret adminicula, si judex variantem ad torturam rapere velit, *Tabor. cit. tr. d. Confrontat. part. 4. c. 5. n. 5. p. 128.* vult contra variantem confrontationem esse decernendam antequàm ad torturam judex descendat. Et ita quondam respondisse Sereniſſimo Cuidam Principi Jctos Gryphswaldens. ibid. testatur.

§. XI. Debet autem maleficus eo casu ob enumerata indicia ad torturam trahi, cum veritas aliter haberi non potest, nisi per torturam *Harz. Conclus. 8. n. 1. seqq.* Nam si spes supersit, veritatem aliter posse explorari, quæstiones sunt differendæ. Quando autem ad torturam est progrediendum, solet indici à Facultatibus vel primus gradus, daß der Gefangene mäſſiger Weiſe anzugreiffen vel secundus:

cundus: daß der Gefangene vermittelst der Peinligkeit zu befragen/ vel tertius, daß der Gefangene mit ziemlicher Schärffe anzugreiffen. *Brunman. c. 8. n. 44. proceſſ. inquiſitor.* Addatur *Carpz. q. 117. n. 57.*

§. XII. Si Saga in tormentis crimen maleficii fuerit confeſſa, poſtea per ſpontaneam confeſſionem extra locum torturæ id debet ratificari juxta *artic. 56. Conſtit. Criminal.* Et hæc ratificatio etiam eſt neceſſaria poſt factam territionem *Farin. quæſt. 83. n. 70.* Quid autem obtineat, ſi Saga ſpontaneâ confeſſione in tormentis factam confeſſionem ratificare nolit, exponit *B. Brunm. proceſſ. Inquiſ. c. 8. n. 84.* ſcilicet Sagam tormentis rurſus eſſe ſubjiciendam. *Tabor. p. 3. n. 20. tract. de confrontat.* adducit Sagam ob denegatam ratificationem ter fuiſſe ad torturam raptam, quoniam nullas negationis ſeu revocationis cauſas afferre potuerit.

§. XIII. Hactenus diximus de gravioribus indiciis: leviora ſunt hæc: (1.) ſi ſtigma aliquod à diabolo inuſtum ein Teuffels-Kratz apud ſuſpectam perſonam reperiatur. An tale ſit cognoſcitur tunc quando illa pars corporis, in qua cernitur ejusmodi cicatrix eſt inſenſibilis & ſanguis inde, licet acu perfrangatur, non promanat *Fach. l. 1. conſ. 97. n. 20.* (2.) Si Draco videatur evolare ex diffamatæ ædibus. Indicium hoc maximè eſt dubium, quoniam etiam datur genus draconum *naturale*, quod eſt meteoron ignitum infimæ Regionis aëreæ, quodque ob aërem temperatiorem culminibus ædium ſolet incubare. Ad diſcernendum genus draconum diabolicum à naturali, obſervari debet, an tale phasma videatur ſæpius & inuſitato tempore ſuper certis ædibus, itemque an alia adhuc concurrant indicia *Rewig. in ſua Demonol. l. 1. c. 4.* (3.) Huc referre etiam volunt quidam ſi lacrymas ſuſpecta emittere non poſſit. At *Berlich. p. 4. Concluſ. 4. n. 60.* planè id vocat ſuperſtitioſum indicium *Delr. d. diſq. mag. l. 5. ſect. 4.* frivolum & innane ſignum. Medici enim dicunt apud nonnullos homines deficere humidum lacrymale ob cerebrum

ſiccum,

ficcum. *Vid. Lipold. epitom. Delict. c. 8. n. 12.* Malè proinde concluditur: hæc vel illa persona non potest lacrymas effundere. Ergo est suspecta de veneficio. (4.) Nonnullis in locis inter indicia quoque refertur, si diffamata in aquam frigidam immersa supernatet, qualis consuetudo obtinet in Westphalia *Crus. p. 2. de indic. cap. 32.* Item in Norwegia & dicitur Wasser-Spiel. Sed meritò hæc consuetudo tanquam irrationabilis à Theol. & Jctis reprobatur. Nam sontes personas fuisse submersas, insontes verò super aquam natasse, exemplis demonstrat Hartz. *in Inquis. Sagar. Conclus. VI. n. 30.* (5.) Cruentationem inter non levia indicia refert *Boer. quæst. 166.* Enim verò licet aliquando eventus indicio responderit, attamen cum Boërio non consentimus, quoniam facti ratio atque justitia ex eventu fortuito dependere aut judicari non debet. *Tiraquel. d. pœn. temper. consil. 51. num. 7. 9. vid.* Hartz. *d. tr. Conclus. 8. num. 22.*

§. XIV. Signa exteriora quibus sagas dignosci volunt sunt hæc; Si Sagæ totum visum habeant obliqvum, quem ex visione, apparitione & collocutione malorum spirituum seu dæmonum oriri putat *Tabor. de confront. disp. 1. th. 4.* item si libentius humum quàm Cœlum intueantur *Roman. instruct. judic. proces. contra Sag. art. 7. & 10.*

CAP. IV.

DE
POENA SAGARUM.

§. I.

SI Reus hujus criminis debito modo fuerit convictus debita quoque pœnâ est plectendus. Parvi autem pendimus hîc ea, quæ afferuntur in contrarium à Wiero strenuo Sagarum propugnatore de præstig. dæmon. in quibus scribit ea, quæ tribuantur Sagis esse vanissima Commenta, & proinde istas mulierculas miseras potius commiseratione esse excipiendas, quam pœna afficiendas.

§. II. In eandem quoque inclinat sententiam vel potiùs impietatem Johannes Franciscus Ponzinibius, JCtus Florent. qui in *tract. de Lam.* assercre non erubescit, omnia Sagarum dicta esse vanitatibus atque mendaciis plena injustumq; eas concremari. Sed horum errorem egregiè & dilucidè monstravit *Bodin. ut & Carpz. prax. Crim. p. 1. quæst. 48. num. 10.* Certissimum enim est hosce autores in tantum errorem prolapsos, esse convictos (1.) ex jure divino, in quo hæc sole meridiano clariora habentur verba: Incantatricem non patiaris vivere *Exod. 22. v. 18.* Hîc verò sub voce מְכַשֵּׁפָה non comprehenduntur soli venenarii (ut vult Wierus) sed omnes, qui fascinationibus utuntur Bald. *Cas. Conscient. l. 3. cap. 5. cas. 13.* (2.) Jure Naturæ & Gentium. *vid. Plat. L. 11. d. Legib.* (3.) Jure Civili §. 5. *I. de publ. judic. l. 5. §. fin. C. d. malef. & mathem.* Obtinebat quoque olim Confiscatio bonorum *auth. Gazaros. C. de Heret.* quæ tamen postea est abrogata per *auth. Bona. C. de bonis proscriptor.* Nec obstat Crimen hoc esse occultum & proinde Soli Deo καρδιογνώστῃ judicium de Sagis esse committendum. Ad hoc respond. Hartz. *Conclus. 1. n. 1. 2.*

§. III. Pœna autem, qua hodie Sagæ sint afficiendæ, determinatur *Constit. Crimin. artic. 109. in verb:* So jemand den Leuten durch Zauberey Schaden zugefüget/ soll man ihn straffen vom Leben zum Todte/ und man soll solche Straffe mit dem Feuer thun. Wo aber iemand Zauberey gebrauchet/ und damit niemand Schaden gethan hätte/ soll sonst gestraffet werden/ nach Gelegenheit der Sachen/ darinnen die Urtheiler Raths gebrauchen sollen. In foro Saxon. distinguitur, an Sagæ pactum expressum inierint cum Diabolo, & igne sunt cremandæ, *Carpz. prax. Crim. p. 1. quæst. 50. n. 37. 8.* an vero sine pacto expresso cum Diabolo commercium habuerint hominibus eorumq; bonis nocuerint, & pœna gladii sunt plectendæ *Constit. Elect. p. 4. Const. 2. p. 75.* Si vero cum Dæmone concubuerint, rogo imponendæ sunt *Carpzov. 4. d. 2. d. 3.* Et hæc pœna quoque obtinet, licet nemini nocuerint modò cum Dæmone nefandam libidinem exercuerint.

erint. *Stephan. ad artic. 10*
publ. judic.

§. IV. Nec leviori pœn
est vindicandum. Concurrunt en
pe, (1.) Læsæ majestatis divinæ, dum Sag
ad hostem humani generis. (2.) Sodomiæ
(4.) homicidii, (5.) blasphemiæ, si quidem
convitiis Summum Numen ex prozresi lac
verbis: Nun seh' ich meinen Stern un
meinen Herrn / abnegant. Hartz. *Conclus. 1. n.*
reseos. *Richt. decis. 57. n. 11.*

§. V. Plura in hac ampl
gi debuissent. Enim vero
mihi instructa librorum suppellectile destituto
discursum elaborare non licuerit, dicta sufficiant. Interim Tibi ô Deus pro concessis mihi hactenus viribus gratias ago immortales, Tuo Sanctissimo Nomini sit Laus & Gloria in infinitas Seculorum myriades!



[illegible] pœnas has, Igne, *Sagis*, Vltore
[illegible] *disti*,
[illegible] *Sala* Tibi præmia summa
[illegible] *habit*.

Per - Eximio Dno Authori
amicâ m. & m.
[illegible]itus gratulab.

JOH. VOL[illegible]mann / D.
& Præses.

Non spernis nostros COBERE Heliconis amores,
Sed studii quæris nobilioris opes.
Non curas, nec sola placent ænigmata juris:
Ni partem faciat pr[illegible]os alma cohors.
Jam numeri, vittæ, nodi, verbena, molæque.
Ac totum cordi est sacrileq[illegible] studium:
Hoece tuum doctis specimen positurus, ut ingens
Præclaræ mentis nomen abinde detur.

f.

HENR. B. Roth / D.
P. P.